

1427 debat, nihilo tamen remissius aut segnius suas opes confirmare, bellum instruere: atque ad majoris potentiae famam conciliandam, tripartito in hostem movere statuit. Nam & classe apud Cremonam instructa, Turriculas, castellum Parmensis agri ad Tari fluminis ostium, quod Veneti aliquandiu possederant, occupavit. Multitudine ad id peditum fretus Brixienfis agri montana loca, equitibus vero Pergulani ductu planitiem uno tempore est adortus. Tertia expeditio in Genuenses extorres Francisci Sforciae ductu omnium felicissima fuit. Thomas Fregosius, qui cum ingenti exulum manu auxiliaribusque Florentinorum turmis Genuam ita antea infestarat, ut urbem ipsam quandoque oppugnare sit ausus, audito Sforciae adventu, fratrem suum, juvenem impigrum, ad Vallis Porciferæ exitum cum parte copiarum hosti occurrere jusserat. Interim Hetruscæ turmae ob stipendium diu ex Florentia non missum, sine imperio, sine commeatu dilapsæ, ita signa infrequentia reddidere, ut cum octingentis & non amplius Fregosius in castris relictus sit. Quod ubi Genuæ per exploratores cognitum est, cæterum confirmati cives Sforciae adventu, qui jam propinquare dicebatur, facta repente ex urbe eruptione, Fregosios primo impetu fundunt fugantque. Thomas cum Baptista fratre fuga dilapsi, Rechum cum paucis contenderunt: reliqui in hostium potestatem venere: castra, magnæ pro numero hostium opulentiae referta, capta & direpta sunt; atque ita sub Sforciae adventum, quasi feliciter quoddam sidus affulsisset, Genuensium res, quæ gravi bello ad eam diem implicitæ fuerant, meliore statu esse cœperunt.

*Fregosii a
Genuensibus
prælio
victi.*

In Brixienfi interea, dispositis per opportuna loca a Pergulano præfidiis, Picininus cum suis copiis circa Padum stativa habebat. Accersita itaque ad Casale majus, Cremonensis agri oppidum, classe, terra & aquis oppidanos adortus, ad deditionem compulit. Inde, trajectis in ulteriorem ripam copiis, Brixillum invadit (oppidum Pado alluitur) quo proditione recepto, arx expugnari non potuit. His auspiciis bellum ab hoste renovatum; sed nec

Vene-